



Virichus ex illustri familia comitum Oberstenorum natus est. Is à pueris uirtutibus operam dedit, & Cæsaris castra sequendo ob rei bellicæ peritiam magnum sibi nomen comparauit. Itaque cum Anabaptistæ Monasterium urbem occupassent, atq; finitimi principes eani obsidere cogitarent, Vuirichus omnium uoluntate copijs, totiq; bello præfectus fuit. Vnde is urbem graui obsidione cinxit, & ad horrendam famem incolas perduxit. Cum etiam ob pecuniarū inopiam aliquando res in castris ad seditionē spectaret, Vuirichus sua prudentia milites benignè affatus, spe melioris fortune compescuit, & in officio retinuit. Tandem cum Imperij decreto pecunia allata & Oberstenio tradita esset, hisce militem refecit, & anno 1535, die 22 Iulij ipsam urbem occupauit, perruptis portis, & copijs introductis. Ibi rex Anabaptistarum Iohannes Leidensis cum alijs ducibus capite plexi, reliqui uero erroris admoniti, & in gratiam recepti fuerunt. Hoc modo factum, ut Vuirichus sibi ob bellum fœliciter administra-
tum, magnum nomen apud Belgas compararit. Iohan.
Sleid.lib.10.